

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 222

Heinricus Dei gratia Leodiensis aecclesiae humilis minister domno Wibaldo eadem gratia venerabili Stabulensi abbatи, salutem et fraternalm in Christo dilectionem.

Propter necessitates grandes ex improviso nobis occurrentes minoribus negotiis nequaquam vacare possumus. Non latet enim prudentiam vestram fomitem hujus mali hactenus speciae invidiae adulatio[n]is protecti, calcata sub pedibus regalis reverentia majestatis, omnes rupisse aditus simulationis. Comes enim de Rupe Heinricus treugas illas quas per manum comitis Namucensis et aliorum suorum in manus principum nostrorum stabili pace firmaverat, nihil nobis contradicendo, incendiis et rapinis in nos et aecclesiam nostram inpudenter confregit, estimans excommunicatis dictum esse: ut, qui in sordibus sunt, sordescant adhuc. Comes Namucensis, nescimus quo rumore regiae debilitatis, venenosa factio[n]e aliorum principum in nos et aecclesias nostras furit. Premissis dilectionis et fidelitatis nunciis, et subsequenter eadem hora nuncio exfestuationem dominii nostri deferente, Cinei nostram dominicalem villam, adhuc ista legatione infecta, penitus succedit. Quia igitur vobiscum de meis secretis soleo loqui ut tecum, in gremio vestri consilii et consolationis hanc repono causam conturbationis, ut ego et vos, qui in eadem curia fideles sumus domestici, alter pro altero, cum opus fuerit, veritatis et fidei inveniamur socii. Bene valeat dilectio vestra. Cetera presentium lator expediet.